

de dimisso Consilio ad fossas circa castra et fodendas, & ad rivus fossis deducendos, Carolo Gonzaga auctore, accinctos armis suis Oppidanos videbamus, ut quod utile videretur id honesto (tanti est apud omnes Annibalis auctoritas) anteponi videatur.

Sed cum essent apud Ginevoldam, Oppidum Clari cum sex cohortibus invadere meditantur, Duces Culio, Joannes Tolentinus, & Robertus Annibalis fororis filius, ut eorum institutum conficerent. Scipio per exploratores, re cognita, ad equitandum Quarto Nonas Sextiles accingitur. Acies septem armari imperat, Tibertum magnanimum quidem Ducem sibi comitem deligit, & collectis peditibus electissimis, quos suo stipendio domesticos habet, Pazaliam, qui pedestri cohorti praest, ad rem bene gerendam vocat, ratus aut hostes ad locum insidiarum allicere, aut Casalebutanum expugnare. Hæc res Sforcianis nuntiata est; armis illico circumfunduntur; statuant acies, locant suo ordine pedites, quos perpauca habebant, & rem omnem per Nuntium Annibali significant. Tandem læti adventum Annibalis expectabant. Leves interea equites discurrerent hostem provocant, quibus erat primo subsidio Joannes Franciscus Mirandula Praefectus militaris, & Scipionis observantissimus. Prodeunt Sforciani, pugna conferitur, & praefectis hinc inde subsidiis crudescere Mars incipit adeo, ut putarem, eodie collatis signis utrumque exercitum proliaturum. Nam cum illi sperarent, structis cohortibus venturum Annibalem, ferro corruunt, & nostris levi armatura indutos circumvallantes glomerantur, & Mirandula incumbunt. Tunc Scipio molestè ferens, suos tam facile ab hostibus capi, Tibertum Ducem ardentissimum ire cum sua acie in subsidium jubet, & cum eo nonnullos Praefectos, & milites. Incredibile dictu est, Serenissime Rex, quonam pacto Tibertus in ea pugna sese gesserit. Primus in medium agmen irruens hasta ferit, mox evaginato ense in medios sese hostes confert; faciunt idem strenui cohortis suæ milites. En adsunt Sforcianæ acies validissimæ; Tibertum, atque omnem ejus aciem lustrant; undique medium feriunt, clamantes, ut arma deponeret, & hosti sese dederet. Ille cum fere omnes à manu hostes ante liberasset, virtutis suæ haud immemor, eum, qui magis sibi erat infestus, ense percutit. Ille accepto in facie vulnere non amplius infecutus est. Tum Tibertus nunc equos, nunc milites fauciatis, subsidium postulat. At Scipio in ceteris rebus prudentissimus, hic verò multo prudentior, Tibertum, & Mirandulam cum suis revocat. Fuerat enim nuntiatum sibi, adventurum Annibalem, nemus, in quo ipse per insidias latebat, lustraturum, ut & Scipionem, & qui cum Scipione aderant, circumveniret; quibus captis poterat mox de reliquis Ducibus, ut omnium erat opinio, triumphare. Ergo paulatim nostri retro flectunt

A pedem usque ad locum; quem pedites, quibus praerat Pazalia, sustinebant. Incumbunt alacri voce Sforciani, sed posteaquam ad eum locum abjecto obice perventum est, magnanimus Pazalia cum omni cohorte hastis & arcu armata proliunt, & modò equos, modò fortes milites alii à fronte, alii à latere, alii à tergo, ita fortiter feriunt, ut quamplurimi ibidem equi caderent, quamplurimi vulnere confoderentur, ac nonnulli milites eorum casu caperentur. Illis igitur non prateruntibus, paulatim nostri tuta loca tenuerunt.

B Venit interea nuntius ad Gentilem exercitus Gubernatorem, narrans, collatis signis contra Scipionem adventare Annibalem, aere praelium inter utrumque confertum, egere subsidio Scipionem, captos omnes, qui primo congressu pugnaverant, opus esse celeritate subsidii. Qua voce audita: *Ite*, inquit, *magnanimi milites, ite Duces inclyti, & Praefecti militares, accingimini armis, equos scandite, Scipioni succurrere deputamus*; numquam homo inultus capietur. Hic omnis Venetorum exercitus suo ordine motus est, suscepto etiam Divi Marci Vexillo, quod ab Gaspare Sabello milite quidem perstrenuo ferebatur.

C Festinabant milites, sumtis armis, nullo ordine, Scipionem petiuri. Nec enim poterat instrui tunc tanta acies, propterea quod ardebant magnanimi viri sibi gloriam vindicare, ut primo loco subsidium Scipioni praerissent. Hic facile percipi potuit, quantus esset amor, quantaque observantia militum in Scipionem; hic ego intellexi, quanti Scipio à Legatis, à Gubernatore, & claris Ducibus haberetur. Nam ut illi celere subsidium ferant, omnes inconsultè in hostem ruunt, nemo rebus aut saluti suæ parcat, omnes sese morti perlibenter opponunt. Sed omnibus ira properantibus, castra Scipio instructis aciebus repetens, cum primis obviam factus est, cognito exercitus & signorum motu, subrisit Imperator festivissimus, & verso ad Tibertum ore: *Nisi nos*, inquit, *saluti nostræ praevidissemus, sero nostri milites subsidium attulissent*. At postquam inter milites itinerantes cognitum est, incolumen adventare Scipionem, tanta in exercitu læticia exorta est, ut major non potuit. Ergo omnes regredientes comitantur Scipionem tamquam Illustrissimi Senatus Venetorum propugnatores. Exitus pugnae utriusque Imperatori detrimento fuit.

E Hinc captis quatuor & decem ex equestri ordine militibus levi armatura indutis equitibus, & uno Praefecto militari Zucio, qui captus est, ut socios ab hostis manu liberaret. Illinc perpauca capti sunt milites; sed equi quatuor & triginta eviscerati, vulnerati, ut fama erat, longè plures; utrinque tamen, quamplurimi vulnere confossi sunt. Postero die equitatus peditum equitumque ex utroque exercitu sunt, alter alteri obviam fit, certatur æquo Marte utriusque cohortis virtute; & paucis equis utrinque fauciatis, captis duobus militibus Sforcianis, pugna dirimitur.